

tractam. Sed fac etiam longiorem fuisse: nemo est ita rerum humanarum ignarus, qui non videat, fugam sub barbari adventum factam, & non postquam omnia oppressa sunt, cum sane parum utilis, atque omnino irrita fuisset. Certe igitur ita contigit, ut aliquot annis antequam Aquileja everſa ſit, in inſulis ſecundo cœptum ſit ædificari. Nec eo inſicias, ipſam urbis originem ad primum Gothicum tumultum (neque enim res Hunnicas multum præceſſit) aliqua ex parte referri poſſe, quo Venetam oram barbaris armis concuſſam proditum eſt memoriæ. Sed tanquam omnium veriſſima illa nobis ſemper celebrabitur, quæ primo poſt viceſimum ac quadringentefimum ſalutis anno eſſe cœpit.

*Antiqua e-  
jus ſtudia,  
mores, reli-  
gio.*

Antiquus enim civitatis ſtatus qualis fuerit, cum ex multis aliis intelligi poteſt, tum quia optimi atque iidem nobiles divitesque fuere, qui novæ urbis condendæ auctores dicuntur. Siquidem priſci illi Veneti, ea temporum novitate, liberis, conjugibus, preciſiſſimisque rebus ſecum ſublatis, per ocium in tutiora loca conceſſerunt: verum vagantibus toto littore Hunnicis armis, quum agrorum cultu arcerentur, quibus tum res anguſtiores fuere, piſcationibus, ſalinis, rerumque vicinarum frequenti conveſtatione, quaſtum non magis ſordidum, quam ſi interim alienos agros coluiſſent, faciebant: amplioris fortunæ viri, aut ad peregrinarum mercium negocia exhibant, aut ad formandam legibus ac novis inſtitutis civitatem domi reſidebant: tantumque interim erat æquitatis ſtudio, tanta juris adæquatio, ut nullum in tam amplo civium numero diceres eſſe diſcrimen. Erat in primis religionis cura, quæ eo major tum fuit, quo majora impendebant ab infeſtiſſimo hoſte pericula. Augebat non parum commune illud pietatis ſtudio quorundam antiſtitum præſentia, qui Chriſtiani nominis hoſtem veriti, cum ſuis popularibus ſalutem effugio quaſiverant: eorum opera opportuna fuit non ſolum ad ſacrorum miniſterium, ſed in rudi etiam civitate in antiqua religione & pietate retinenda, quo minus Arrianæ hæreſis veneno contaminaretur: quum peſtis illa non minus quam Hunnicum ferrum jam paſſim longe lateque tota regione vagaretur. Cer-  
tabant